

ILLVSTRISSIMO & Excellentissimo Principi dño. D. Lodouico Mariæ
Sfortiæ Anglo Duci Mediolanensium inuictissimo Franchinus Gaforus. Musicæ
professor Salutem.



Vantæ musicæ artis professio Illustrissime Princeps
apud Priscos nõ authoritatis modo sed etiam venera-
tionis extiterit facile edocemur & summorũ Philoso-
phorũ exemplo q se admodum senes ad hanc discipli-
nam velut in ea summam studiorum suorum manum
imposituri contulerunt: & seuerissimarum rerũ publi-
carum instituto: quæ cum summa diligentia quicquid
moribus publice officeret: circuncidi curassent: hanc
tamen artem non modo non eiecerint: sed etiam velut
morum parentem Altricemq; summo studio excoluerunt: & vt claudam semel oĩum
gentium oĩumq; nationum cõsentienti stabiliq; cõfirmatur iudicio apud quas nihil
vnq̃ fuit cura maiore celebratum. Quæ enim alia disciplina tãto mortalium assensu:
tantaq; omnis vel ætatis vel sexus cõspiratione recepta est: vt nullius conditionis vl-
lus sit adhuc repertus qui molestias suas vel rudi saltem modulatione consolari non
studeat: Nihil. n. æque animos ad diuersissimos affectus breui momento traducere:
non optimorum modo testimonio: sed oculata (vt aiunt) fide conuincitur: A deo vt
eius Professores antiquitas non Musicos modo: sed & vates & sapientes appellare
non dubitarit. Huc accedit Poetarum authoritas: qui Linum Orpheumq; dijs ge-
nitos: quoniam quorũdam hominum duram agresteq; vitam ad mitiorem cultũ re-
duxerint: filuas saxaq; duxisse sinxerunt. Sed ne forte Poetarum dictis parua adhi-
beatur fides: velut in maius omnia familiari sibi figura extollentium: reperti sunt et
sapientiæ professionis: q asserere non dubitarint: non sensibilia modo sed etiã quæ
citra sensum vtcunq; viuunt modulationibus musicis permulceri. Atq; hac quidam
causa eminentissimum Authorem Virgilium non hyperbole poetica in bucolicis
dixisse ad filem cantum & duras motasse cacumina quercus arbitrati sunt. Et. n. si
Platonĩ credimus qui Mundi animam Musica modulatione cõstare dixit: nõ video
profecto cur dubitari possit cetera quoq; qualicunq; anima degentia: quam eis cœ-
litus datam liquet: non affici latariq; nature suæ congruentia: cum similitudi-
nem sibi amicam esse iam palam constet. His ego rationibus Illustrissime Prin-
ceps tum etiam natura ad id impellente: cui non facile obsistimus motus: cum
animum iam ab inæunte atate ad hanc vsque disciplinam appulisset: quæ pre-
fertim & moribus conferret: vt peritissimis placet: & a professione mea non ab-
horreret recepta iam diu opinione Religiosorum hoc potissimum munus esse: ne
mihĩ soli studia prodescent mea: librum etiam edidi antiquissimorum rationẽ secutus